

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Avctores Latinae Lingvae In Vnvm redacti corpvs

Godefroy, Denis

[Genevae], 1585

Fulgentii libellus De prisco sermone

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-85](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-85)



FVLGENTII LIBELLVS  
DE PRISCO SERMONE,  
AD CHALCIDIVM GRAMMA-  
TICVM TIMAEI PLA-  
tonis Ecphraften.

**S**ANDAPILAM antiqui dici voluerunt feretrum mortuorum, id est, loculum, non in quo nobiliū corpora, sed in quo plebeiū atq; damnatorum cadauera portabatur, sicut Stesimbrotus Thastus de morte Polycratis Samiorum regis scripsit, dicēs, Posteaquam de cruce depositus, sandapila etiam deportatus est.

2 *Vespillones*, dicti sunt baiuli, quamuis Antidamus Heracleopolites vespillones dixerit cadauerum nudatores: sicut in Historia Alexandri Macedonis scripsit: Plusquam trecentos cadauerum vespillones reperiens crucibus affixit. Mnascaas tamen in Cecrope scripsit, Apollinem postquam ab Ioue vincētus, atque interfectus est, à vespillonibus ad sepulturam elatum esse.

3 *Pollinctores*, qui funera morientium accurant, dicti sunt. Plautus in Pœnulo: Quia mihi pollinctor dixerat, qui eū pollinxerat. Dicti autem pollinctores, quasi pollutorum vnctores, id est, cadauerum curatores: vnde Apuleius in Hermagora ait: Pollinctor eius funeri dum vnctionem parat.

4 *Manales*. Labeo qui disciplinas Herulcas Tagetis & Bacchetidis quindecim voluminibus explicauit, ita scribit: Fibrae iocinoris sandaracci coloris dum fuerint, manales tunc vertere opus est petras, hoc est, quas antiqui solebant in modū cylindrorū per limites trahere pro pluuix cōmutāda inopia.

5 *Nesfendes*. Diophantus Lacedaemonius, qui de sacris Deorum scripsit, ait apud Messenios Ioui solere sacrificari sacru, quod *εκατον πρία* appellatur. Si quis enim centum hostes interfecisset, Ioui homine sacrificabat apud Ithomen, quod sacrificatum est à duobus, Aristomene Gortynensi, & Theo-

clo Elæo, sicut Sofocrates scribit. Sed postquam hoc Atheniensibus displicuit, ceperunt efferre porcum castratum, quem nesciēdem vocabant, quasi sine *vipestis*, id est, renibus. At apud Romanos Varro scribit Sici-nium Dentatum centies, & vicies pugna-se singulari certamine, cicatrices habuisse aduerias quadraginta quinque, post tergum nullā, coronas accepisse xxvj. armillas c x l. & istum primum sacrum fecisse Marti.

6 *Ambegnae oues*. Bæb. Macer, qui factos dies scripsit, ait Iunoni eas, quæ geminas parerent oues, sacrificare cum duobus agnis altrinsecus alligatis, quas oues ambegnas vocari, quasi ex vtraque parte agnos habentes.

7 *Suggrundaria*, antiqui dicebāt sepulcra infantium, qui necdū xl. dies impleissent, quæ nec iam busta dici poterant: quia ossa quæ comburerentur, non erant, nec tanta cadaueris immanitas, qua locus tumesceret. vnde Rutil. Geminus Astyan. ait: Melius suggrundarium quæreres, quam sepulcrum.

8 *Silicernios*, dici voluerunt senes incuruos, quasi iam sepulcrorum suorum silices adspicientes. Vnde Cincius Alimetus Hist. de Gorgia Leont. scribit dicens: Qui dum iam silicernius sui finem temporis expectare, etsi morti non potuit, tamen infirmitatibus insultauit.

9 *Aruales Fratres*. Acca Larentia Romuli nutrix consueuerat pro agris semel in anno sacrificare, xii. filiis suis sacrificiū precedentibus: vnde eūm ex iis vnus esset mortuus, propter nutricis gratiam Romulus in vicem defuncti se succedere pollicetur: vnde & ritus processit, cum xii. iam deinceps sacrificare, eōsque Aruales dici fratres, sicut Rutil. Gemin. in libris Pontificalibus memorat.

10 *Ininges bones*. Manil. Chrestus lib. cc j

quem de Deorum hymnis scripsit, ait Minervæ iniuges boues sacrificari, id est, iugum nunquam ferentes, illa videlicet de causa, quod & virginitas iugum nesciat maritale, & virtus nunquam sit iugo prementi subiecta.

11 ¶ *Semones*, dici voluerunt deos, quos nec caelo dignos adscriberent ob meriti paupertatem, sicut sunt Priapus, Hippona, Vertumnus: nec terrenos eos deputare vellent, pro gratiæ veneratione, sicut Varr. in Mystagog. ait: Semonéque inferius derelicto, Deum depumato attollam orationis eloquio.

12 ¶ *Blaterare*, quasi verba trepidantia metu balbutire dixerunt. Pacu. Pseudone comœdia inducit Sceparnionem seruum ancillæ dicentem: Ni ego te blaterantem adpiscerem, his nuncium indicassem.

13 ¶ *Lucitiosos*, dici voluerunt interdum parum videntes, quos Græci *μυδρα* vocant. Plautus Milit. Mirum est lolio victitate te tam vili tritico, Quid iam? quia luscitiosus. Dicunt enim, quod lolium comedentibus oculi obscurantur.

14 ¶ *Tutulû*. Varro in Pontificalibus ait Tutulos sacerdotes dici breuium deorum. Numma verò Pompilius & ipse de Pontificalibus scribens, Tutulum dici ait pallium, quo sacerdotes caput tectabant, cum ad sacrificium accessissent, sicut & Virgilius ait: Et capita ante aras Phrygio velamur amictu.

15 ¶ *Oriam*, dicunt nauiculam modicam piscatoriam. Plautus Cacisto: Malo hunc aligari ad oriam, vt semper piscetur, etsi sit tempestas maxima.

16 ¶ *Problema*, est propositio in capite libri questionali ter posita. Demosthenes ad Philippum, (Sed ne quid Græcum te turbet exemplum, ego pro eo Latinû tibi faciam, ait enim) Problematis autem gradum tradamus adstati, cui nostra subsequens occurret oratio. Nam & Tertullianus libro quem de Fato scripsit ita ait: Redde huic fati primum problematis mancipatum.

17 ¶ *Pumilus*. Apul. Asino aureo introducit forores Psyche marito detrahentis, dicitque: Patre meo seniore mari tum sortita sum, dein quouis puero pumiliorem, & curbita glabriorem. Pumulos dicunt molles atque enervés: glabrum verò leuem, & imberbem.

18 ¶ *Sutela*: Sutelam dici voluerunt astutiam, quasi subtilem telam. Vnde & Plautus Casina: Possisne, necne, clam me sutelis tuis Præripere Casinam vxorem, proinde vt postulas?

19 ¶ *Frigurire*, dicitur subtiliter adgarrire. Plaut. Casina: Quidnam frigutis? Ennius Alcestide: Hæc anus admodum frigurit, mirum se lauciauit flore Liberi.

20 ¶ *Titiuillitium*, dici voluerunt fila putrida, quæ de telis cadunt. Plautus Casina: Non ego istud verbum emstem titiuillitio. id est, re admodum vili. Nam & M. Cornutus in Satyra ait: Titiuillitij sar cedo tibi.

21 ¶ *Sculponeas* dici volunt cæstus plumbo ligatos. Vnde Næuius Philemporo comœdia ait: Sculponeis batuenda sunt huic latera probé. Et Plaut. Casina: simili modo? Qui queso potius, quam sculponeas, Quibus batuatur tibi os, senex nequissime.

22 ¶ *Catillare*, est per alienas domos gyrare: tractum à catulis, quod per omnes domos circumeant. Vnde Propertius: Catillata geris vadimonia publicum prostibulum. Et Plautus similiter Casina: Operam vxoris polliceor foras Quasi catillatum.

23 ¶ *Capularem*, nominari volunt senem iam morti contiguum; quin & reos capulares dicebant, qui capulo digni fuerunt, vnde & Lucilius ait: Pergit capulare cadaver. Statius Cæcilius Melane comœdia: Tunc amare audes edentule & capularis senex: Edentulum autem quasi sine dentibus dici placuit.

24 ¶ *Promos*, & *Condos*, appellari voluerunt cellarios, eò quod inde promant, & eò rursus condant. Plautus Pseudolo: Ego sum promus, condus, procurator peni. Penum autem cellariam dicimus.

25 ¶ *Suppetias*, dicimus auxilium. Memor in Tragœdia Herculis: Ferte suppetias optimi comites.

26 ¶ *Auctio*, dicitur venditio, quasi quod & ementem augeat & vendentem. Plautus Curculione: Auctionem facio parasiticam.

27 ¶ *Nasisterna*, est aquæ vrna, id est, viceus. vnde Calpurnius Phronesi fabula: Vbi tu nasisternatus aquam petas. Plaut. Bacchid. Effer nasisternam cum aqua foras.

28 ¶ *Antistare*, dicimus præcellere. Crispinus Heraclea: Diuinis virtutibus antistas Alcides.

29 ¶ *Stega*, est nauis proscenium, siue tabulatum, super quod nauæ ambulant. Plautus Chrysal: Fortè vt assedi in stega.

30 ¶ *Lembus*, genus nauiculæ, velocissima, quod & dromonis nomine appellamus. Virgilius Georgic. Non aliter quam qui aduerso vix flumine lembum Remigiis subigit. Limbus verò est ora vestimenti cuiusque.

31 ¶ *Ramentum*, dici volere quasi proiectitium quoddam purgamentum. Quintus Fabius Lucullus Epico carm. Vilissimum ramentum, proluiosa pestis.

32 ¶ *Diobolares*, dicuntur vilissima meretrices, quæ paruo stipendio prostant. Pamphilius: Diobolare prostibulum, quam ego acturum

stutum vt Dircen partitam reddam. Pacuu. Non ego sic fui, vt nunc sunt meretrices dio bolæ, Quæ suam nummi causâ paruipendunt gratiam.

33 ¶ *Veruina*, iaculi genus longum, quod aliqui verutū nominant. Galbius Bassus Satyra. Veruina confodiende non te nauci facio. Nauci enim pro nihilo posuerunt. Plaut. Bacchid. Si tibi machara est, & nobis veruina est domi, Quæ quidem te faciam, si me irritaueris, Confossioem Soricina nania.

34 ¶ *Diuidias*, dixerunt tristitiam. Propert. Diuidias mentis conficit omnis amor.

35 ¶ *Iustitium*, dicitur luctus publicus. Vnde Ponticus Orat. pro Nucernis ait: Deniq; iustitium plebi indicitur.

36 ¶ *Choragium*, virginale funus vocatur. Apuleius Metamorp. Choragio itaque perfecto domuitionem parant.

37 ¶ *Desiduo*, pro diuturne. Varr. Corollario: Diuidiæ mihi fuerunt, tam desiduo abfuisse te.

38 ¶ *Floci*, quasi nihili. Plautus Floci est, quid rerum geras.

39 ¶ *Tentaculum*, cibi degustatio. Callim. Aitiu: Tentaculum proferto Ioui.

40 ¶ *Eduulum*, ab edendo, dicitur prægustatiua comestio. Apuleius Asino aureo: Eduulis opiparè excepta. opiparè, id est, lucidè, & delitiosè.

41 ¶ *Tuceta*, dicuntur escæ regiæ. Callim. Pisais: Ambrosio redolent tuceta sapore.

42 ¶ *Ferculum*, missus carniū. Petron. Arbitr: Postquam ferculum allatum.

43 ¶ *Myropola*, sunt qui vnguenta vendūt, & sunt pigmentarij. Vnde Næuius Diabolaria: Myropola affatim mihi vnguentum largitus est, quo me venustatem. Affatim dixit abundanter.

44 ¶ *Celocem*, dicunt genus nauiculæ modicum quod baplum dicimus. Apul. lib. de Republic. Qui celocem regere nequit, onerariam petit.

45 ¶ *Cælibatum*, dici voluerunt virginittis abstinentiam. Vnde Felix Capella lib. de nuptiis Mercurij, & Philologiæ: Placuit Minervæ petere cælibatum.

46 ¶ *Exercitus*, pro contempto. Plaut. Milit. glor. Itaque nos, nostramque familiã habes exercitam.

47 ¶ *Valgia*, sunt labellorū obtortiones in supinatione, vel subatione peractæ. Plaut. Milit. glorioso: Maiorè partem videas valgis suauis. Sic Petron. Arbitr: Abroso valgiter labello.

48 ¶ *Summates*, dicuntur viri potentes.

49 ¶ *Simplones* dicuntur contiuæ; nam & amicus sponsi, qui cum eo per conuiuia ambulat, Simplator dicitur. Sutrius Piscatoria: Summates viri symplones facti sunt ganci. est autem ganeum taberna.

50 ¶ *Præsegmina*, sunt partes corporis incisæ, vt Tages in Haruspicina ait: Præsegminibus amputatis.

51 ¶ *Congerrones*, qui aliena ad se congregant. Vnde apud Romanos Gerones Brutiani dicti sunt.

52 ¶ *Cistella*, dicitur capsella. Plautus: Cistellam offer cum crepundiis, id est, cum puerilibus ornamentis.

53 ¶ *Fabre*, perfectè dicitur. Antidamus in Moralibus: Fabre compactum animal hominem quis ferat, sic ex re pccuatum? quis auerruncassit tam Aretinas hominum mentes: Porro auerruncare dixit pro eradicare; Aretinas verò testas, vel argillaceas: & Pecuarum stultum.

54 ¶ *Hallucinari*, dicitur vana somniare. tractum ab allucitis, quos nos *uóuorac* dicimus, sicut Petronius Arbitr asserit: Nam cæcæ vernaes me allucitæ molestant.

55 ¶ *Cullens*, dicitur saccus in quo rei conclusi in mare mittuntur. Plaut. Vidularia: Iube nunc insui Culleo, atque in altum deportari, si vis annonam bonam.

56 ¶ *Elogium*, est hæreditas in malo. Cornelius Tacitus libro facetiarum: Cæsi itaque morum elogio in filiis relicto.

57 ¶ *Lixa*, mercenarius. Lucanus: Stat, dū lixa bibit.

58 ¶ *Sudum*, dicitur serenum. Tiberianus: Aureos subducit ignes, sudus ora lucifer.

59 ¶ *Luteum*, dicitur splendidum. Pacuu. Thyeste: Non illic luteis aurora bigis.

60 ¶ *Abstemius*, obseruans. Rubrius in Satyra: Abstemium merulenta fugit Metenia nomen.

61 ¶ *Vadatus*, obstrictus, vel sub fide, aut fideiussione ambulans, sicut Fenestella ait: Apud quem vadatus amicitia nodulo tenebatur.

62 ¶ *Manubia*, sunt ornamenta regum. Petronius Arbitr: Tot regum manubia penes fugitiuum repertæ.

63 ¶ *Aumarium*, dicitur locus secretus publicus, sicut in theatris, aut circo. Petronius Arbitr: In aumarium memetipsum conieci.

64 ¶ *Delenificus*, blandiloquus. Lucil. Comicus Nummularia: Nescio quorsum mihi eueniunt tua verba, tam delenifica.



ISIDOR  
EPIS  
SIVE

SYMMAC  
ISIDOR

- 1 De disciplina litterarum
- 2 De ingenio liberalium
- 3 De litteris antiquis
- 4 De litteris Latinis
- 5 De Grammatica
- 6 De partibus orationis
- 7 De pronominibus
- 8 De verbis
- 9 De adverbis
- 10 De participiis
- 11 De conjugationibus
- 12 De propositionibus
- 13 De sententiis
- 14 De numeris
- 15 De syllabis
- 16 De primis
- 17 De articulis
- 18 De litteris antiquis
- 19 De primis
- 20 De litteris antiquis
- 21 De litteris antiquis
- 22 De litteris antiquis
- 23 De litteris antiquis
- 24 De litteris antiquis
- 25 De litteris antiquis
- 26 De litteris antiquis
- 27 De litteris antiquis
- 28 De litteris antiquis
- 29 De litteris antiquis
- 30 De litteris antiquis
- 31 De litteris antiquis
- 32 De litteris antiquis
- 33 De litteris antiquis
- 34 De litteris antiquis
- 35 De litteris antiquis
- 36 De litteris antiquis
- 37 De litteris antiquis
- 38 De litteris antiquis
- 39 De litteris antiquis
- 40 De litteris antiquis